



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IX. Clerici pro insinnatione persolvebant emphanistica. Iustinianus explicatus in Novella 56.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

ex Gregorio in dicta epistola, qui pauperibus erogandi morem ab ordinatis servatum commemorant, licet damnent. Sed non opus est conjecturis, cum sint aperta Novellæ verba; quæ partem quantitatis illatæ Episcopis ordinatoribus, alteram vero partem Clericis ministrantibus & Notariis attribuit. Ius illud dicitur à Iustiniano *συνθετα*, sive specialius *Inthronisticum*, quod Iulianus Antecessor vertit *Cathedraticum*; differtque toto genere à Cathedratico, id est, à duorum solidorum præstatione quam in synodis Presbyteri subditi Episcopo deferebant, cujus meminit Concilium Bracarense secundum canone secundo. Vnde Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus hoc caput Novellæ rectè inscribit *Ἐπὶ συνθεταῖν ἢ τοῖ ἐθροῦν ἐχρήσθαι ἐκκλησιαστικῶν*. Ex nomine apparet color quæsitus huic pecuniariæ præstationi. *Inthronisticum* dabatur ratione throni sive cathedræ adeptæ. Missio enim illa in possessionem dicitur à Græcis *ἐθρονιασμός*; quam recentiores in Canonicis à stalli chori dicunt installationem. Sanè videbatur æquum à sumptibus itinerum Episcopos relevari, qui è diffitis civitatibus ad metropolim accedebant, ibique dies aliquot transigebant ad ordinationes peragenda, & honorarium aliquod Clericis ministris tribui. Ceterum Iustinianus non induxit has præstationes, sed potius ad legitimum modum coercuit: *Ne ex talibus occasionibus, debitis Ecclesie prægraventur, & sacerdotia venalia fiant*; ut loquitur in Novella.

IX. Nec omittendum hac Novella cap. xvi. concedi quoque Clericis ab Episcopo ordinatis ut consueta salaria solvant, *emphanisticorum* sive *insinuativorum* nomine, Clericis quibus dari solitum erat, *ἡ δὲ ἰδίας ἐμφανείας, pro insinuatione sua*, id est, quod Clericorum in matricula nomina descripsissent & insinuassent actis ecclesiasticis. Ea tamen lex est adjecta, *ut anni unius diaria, sic vertit Iulianus, non excedentes summas præstent*. Quam insinuativorum solutionem tolerat Iustinianus in majori Ecclesia Constantinopolitana, sed non in ceteris Ecclesiis, Novella quinquagesima sexta. Quod ultimum non intelligitur de omnibus omnino Ecclesiis, (id enim contrarium esset Novellæ cxxiii.) sed de Oratoriis urbis Constantinopolitanæ; ut colligi potest ex verbis Iuliani Antecessoris num. cxc. *Si quis in Constantinopolitana civitate Clericus fuerit factus, siquidem magnæ Ecclesie Clericus sit, emphanistica præstet que ex consuetudine præstari oportet. Sin autem alterius Oratorij Clericus fuerit, nihil ab eo emphanisticorum nomine exigatur*.

Illud etiam hinc probatur, quod Iustinianus Defensores Ecclesiæ Constantinopolitanae hortatur ut hujus legis executioni invigilent, scilicet in urbe. Neque enim in aliis episcopatibus aliquid poterant. Vetus scholion Græcum ad Novellam istam in collectione Ioannis Scholastici observat *has præstationes legitimo jure fieri postquam Imperator, qui secularium rerum est dominus, illas approbavit. Non enim ob ordinationis gratiam pecunia accipitur, neque propterea indigni admittuntur; sed honorary & beneficentiæ vice præbetur modicum illud quod lege definitum est*.

X. Sed auctoritate Gregorij magni in synodo Romana vetitum fuit commoda ulla ordinatoribus aut Clericis ministrantibus pastelli nomine, vel Notariis ob traditionem chartarum, aut alia quacunquæ occasione præberi. Cujus constitutionis occasione de simonia evellenda scriptis ad Episcopos & ad Reges Gallia, ad Metropolitanum Corinthi & provinciæ Hellados Episcopos, ad Episcopos Epiri, ad Helychium Episcopum Hierosolymorum, & ad Eulogium Alexandrinum. Præjudicij istius rationem quandam habuisse videntur orientales, cum decimo capite mandatorum quæ Patriarchæ tradunt ordinatis à se Metropolitanis statuant ut *ἐθρονιασμός* (sic enim vocant præstationes illas) non detur Episcopo ordinatori, sed Clericis pauperibus, libro sexto Iuris Græco-Romani. Ceterum in Occidente & Chalcedonenfis synodi canon & Gregorij magni decretum à sequentibus Pontificibus & à posterioribus Conciliis Gallicanis & Hispanicis fæpissime confirmata sunt.

XI. Emerfit tandem nova Florentinorum Iurisconsultorum opinio sexcentis abhinc annis, postquam ordinatio à Beneficiorum datione distingui cœpit; qui nullum simoniae vitium Præbendarum emptioni subesse aperte docebant: quod crimen in sola gratiæ spiritualis, quæ jam in ordinatione tradita erat, nundinatione constituebant; cum reditus Præbendarum seculares essent, & in commercio positi. Quod meritò decretis Pontificum statim & postea confutatum fuit. Ius enim fruendi his redditibus pendet ex gratia spiritali collata in ordinatione; cui fit injuria, si pecuniæ vi ad exercitium redigatur. Porro addici alicui speciali Ecclesiæ est pars ordinationis, ut superius diximus; ac proinde institutio illa, sive *pronuntiatio*, non potest emi, nec vendi, juxta Concilium Chalcedonense; estque vera & manifesta simonia. Quod Abbo Floriacensis demonstrabat exemplo vinculi quod est inter animam & corpus, animæ ordinationis gratiam & corpori Præbendam comparans.

XII.

Greg. lib. 4. cap. 11.
51. 52. 53. 54. 55.
ep. 7. lib. 7. ep. 5.
113. 114. lib. 9.
ep. 40. 51. 114. 115.
lib. 11. ep. 44.